

mortalium prolatam esse, & fortassis nūquam talem scientiam inueniendam. Quod etiam indicat prædictus auctor anonymus, dum ait, ἀπορόν ἔστιν, ἢ ἡ ζήτησις ἀ-
 Δίκευτος ἔστι. hoc est, imparabile est, cuius inuētio nondum diiudicata est. Quasi velit dicere, omnem inuentionem ad principia geometrica examinandam esse: si enim comperiatur, quod istius inuentionis modus cōgruat cum principiis & demonstrationibus geometricis, tunc illam magni faciendum esse. Si autem deprehendatur, inuentionis modum pugnare cum principiis & demōstrationibus geometricis, hunc certe modum vt absurdum reiicere debemus, addita hac præfatione, quod nōdum exstet scientia rei quæsitæ. Sic etiam hodie respondere possumus quibusdam circuli quadratoribus: si scibilis sit quadratura circuli, vt quidam existimant, nondum tamen exstat eius scientia: quam enim nonnulli scientiam quadrationis circuli iactant, ea duntaxat est mechanica opinio, principiis & demonstrationibus geometricis repugnans, & propterea sophistica censenda. Quod si nobis mechanici isti etiam sua auctoritate molesti sint, & quosuis cuniculos euadendi quærant, dicemus nouum modū quadrationis ab ipsis allatum, nondum in senatu critico geometrarum comprobatū esse, ac proinde quaestionem in controuersia versari: ἢ ζήτησις ἀ-Δίκευτος ἔστι. Idē sensisse videtur Porphyrius, qui vanidicis quadratoribus circuli hoc respondendum esse existimat: etiamsi

H